





B. N.
309.

Xm. 195.

DISPUTATIO
DE
SIMPLICIUM
MEDICAMENTORUM
FACULTATIBUS

IV.

*Ex Capitib. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32.
33. 34. 35. 36. 37. & 38. quod est ultimum,
Libri primi Galeni de simplicium medi-
camentorū facultatibus petita:*

ET

Publici exercitij gratia in inclyta Argen-
toratensium Universitate proposita

à

MELCHIORE SEBIZIO,
DOCTORE ET PROFESSORE
Medicinæ, Comite Palatino Cæsa-
reo, ac Reipubl. Archiatro:

Respondente

SALOMONE Keisel / HIRSCH-
BERGENSI SILESIO.

◀◊(;)◊▶

ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERRI.

M. DC. XLVI.

DISSERTATIO
DE
SIMPLICIUM
MEDICAMENTORUM
FACULTATIBUS

IV
Ex Capitulo 2. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32.
33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.
Sicut primum Galenus demonstravit
tamquam in facillima parte
Et
Tunc exercitum in India Argen-
torianum in hunc modum proponit

MELCHIORE SEBINO
DOCTORE ET PROFESSORE
Medicinae in Collegio Palatino Sals-
burgensi, Archiatro

SALOMONIS SAMUELIS HIRSCH
BIBLIOPOLAE
CAROLINAE
THEATRO
M. DC. XLVI





PROBLEMA

I.



Ecce tené fecerint Medici,
qui prolixè quidem de viri-
bus Aceti nugati sunt, sed
gradus qualitarum neque in
illo, neque in alijs simplici-
bus medicamentis determi-
nârunt? Galenus ait, gradus

*qualitarum in simplicibus medicamentis Medicis
ante sua tempora cura minimè fuisse: sed fuisse il-
lis satis, dixisse, hæc calefacere, illa refrigerare: hæc
humectare, illa siccare. Verùm hanc illorum doctri-
nam graviter reprehendit. Non enim sufficit hoc
scire in genere: sed necesse quoque est, ut in specie
perspectum sit, quo gradu v. g. Psyllium, Solanum,
Portulaca, Lactuca &c. refrigerent: quo Cinna-
momum, Amomum, Cardamomum, Majorana &c.
calefaciant: quo item gradu quodlibet simplex vel
humectet, vel siccet. Nam τὸ καθόλου μόνον ἐπιστά-
σαι ἢ χηρῆσιμον, generale solum novisse, utile non
est: sed oportet etiam in specie scire, quantum &
quo gradu quodlibet simplex ἀ συμμέτρῳ καὶ μέσῳ
τῶν ἐναυλίων, ab eo, quod temperatum est, & medio-
critatem in qualitatibus servat, recesserit. Talis
enim*

enim cognitio triplicem utilitatem habet. I. quonia ea acquisita, τὸ χυμῶς, artificiosè simplicibus uti possumus. II. quia simplicia κατὰ μέθοδον, methodicè & rationabiliter componere licet. III. quia jam composita ὁρθῶς, ritè ad usum transferre nobis est integrum. Est quidem hæc graduum inventio difficultatis ac laboris plenissima, magnamq; & diligentiam, & exercitationem usumq; postulat: acquiri tamen potest tutò, si pro inventionis instrumento Experientiam eligamus, eamque Rationi hac in parte preferamus, & ab ambiguis questionibus & argumentationibus nobis caveamus. L. I. c. 25.

II.

Habuerintne veteres etiam alios ratiocinandi modos, quibus tum Aceti, tum aliorum simplicium pharmacorum facultates indagare conati sint? Habebant, inquit Galenus, adhuc duos. Unus procedebat à compositis ad simplicia. Alter à morbo ad medicamenti facultatem.

Prior modus nitebatur hoc fundamento: quòd vera & indubitata ea sint, quæ à veteribus de compositorum medicamentorum facultatibus memoriæ prodita sunt. Iam quas compositiones veteres statuebant calidas, earum ingredientia etiam calida censebant illorum sequaces. Quas prisci docebant frigiditas esse, illarum ingredientia simili pollere qualitate credebant affecta eorum.

Alter hoc fultus erat principio: quòd remedium, à quo morbus curatur, illi sit contrarium. Iam cum

Methodo

Methodici omnes morbos vel laxos, vel adstrictos esse docuerint, idè affirmarunt, simplicia, quæ medentur morbis laxis, adstringere; quæ sanant adstrictos, laxare. Atque hinc eveniebat, ut plurima vocarent *συνλικά*, quæ tamen talia non sunt. Cujus rei causa erat, quia Methodici præ amore Sectæ suæ circa morborum naturas fallebantur, multosque morbos putabant laxos, aut adstrictos esse, qui tamen tales minimè erant.

Priorem modum Galenus refutat argumentis sequentibus.

Primum est. Si composita cognoscuntur ex simplicibus, non hæc ex illis, sequitur, malè simplicium qualitates & facultates indagari ex compositis. Atqui prius est verum: quoniam simplicia sunt materia & causæ compositorum, à quib. omnis dependet cognitio. Ergò simplicium facultates malè investigantur ex compositis.

Secundum. Si non tantùm similia, sed interdum etiam planè contraria certis de causis ad unius alicujus remediij compositionem adhibentur, manifestum est, de simplicium ingredientium facultatibus ex tota compositione judicari non posse. At prius est verum, ut patet ex legibus de compositione medicamentorum, à Galeno l. i. de compos. med. cal. γέ. vii. c. 3. traditis. Ergò de simplicium viribus ex compositione tota judicari nequit.

Tertium. Si composita talia sunt, quoniam simplicia talia existunt, infertur, compositorum vires ex viribus simplicium cognoscendas esse, non contrà.

At prius verum est, juxta illum Canonem philosophicum, qualis materia, tale est & materiatum. Ergo compositorum vires cognoscenda ex simplicium viribus; non horum ex illorum facultatibus.

Quartum. Qui experientiam damnant, & tamen ex aequo omnibus compositis pharmacis à veteribus per experientiam inventis fidem tribuunt, tanquam illis, qua neque errore careant, neque perperam sint confecta, & merito in Empiricorum, qui experientiam pro principio & fundamento habent, reprehensionem incurrunt. Experientiam quippe respiciunt, & tamen in illa hac in parte planè acquiescunt. At Methodici hoc fecerunt. Ergo merito in Empiricorum reprehensionem incurrerunt.

Quintum. Qui statuunt, qualitates & facultates simplicium compositorumque medicamentorum usu atque experientia ab antiquis jam esse inventas, & simpliciter credendum esse, frustra eas earumque causas, ob quas operantur, investigant. Actum enim agunt, & tempus frustra terunt. At Methodici sic statuerunt. Ergo frustra facultates medicaminum, earumque causas indagant.

Minorem Galenus probat auctoritate Herodoti, Metrodori, Zenonis, Hermogenis, aliorum. Hi enim, tametsi omnes alias Sectas, præter suam, erroris & falsitatis insimularint, in eo tamen conveniunt omnes, quod existimant, compositis pharmacis, etiam citra iudicium & experimentum scriptis, fidem habendam esse, sive ab hominibus suæ Sectæ, sive à diversa, sive etiam à plebeio aliquo conscri-

conscripta essent. Quin etiam causas subinde red-
dere conati sunt probabiles medicamentorum pesti-
ma ratione compositorum, & quod magis adhuc
mirum, etiam illorum, quorum nullum fecerunt pe-
riculum: sicque ob nimiam credulitatem, nulla ni-
xam pravia exploratione, alios volentes & scientes
fefellerunt. Id quod exemplo cujusdam planum fa-
cit, qui podagricum remedium topicum magnis de-
predicabat laudibus: sed cum illud agro applicuis-
set, in statum longè deteriore[m] illum conjecit.

Sextum. Qui asseverant, ad preparanda medi-
camenta composita, eaque ritè usurpanda simpli-
cium vires considerandas expendendasque esse, idq[ue]
testimonio Erasistrati, Herophili, Philotimi,
Dioclis, Praxagoræ, imò ipsius etiam Hippocra-
tis confirmant, qui hoc faciendum præceperunt, &
tamen ubi ad explorationem perventum, ita agunt
nobiscum, ac si omnes facultates jam haberemus
cognitas atque perspectas, illi frustra & in vanum
laborant. Temerè namque investigant, quod jam
inventum ab antiquitate firmiter credunt. Atqui
Methodici hoc fecerunt. E. laborârunt frustra.

Septimum. Qui prolixis rationibus adstruere
illa conantur, quæ τὸς ἐναργῶς φανόμενοι, ipsis scil.
sensibus repugnant, ij tolerandi non sunt. Hoc fe-
cerunt Sectarij. Ergo tolerandi & audiendi non
sunt. L. I. cap. 27.

Minorem Galenus probat exēplo hominis tan-
te stupiditatis, ut in explorandis medicamentorum
facultatibus sensus prorsus rejecerit: & tamen

cum rogatus esset, num piper calidum esset, responderit, omnino calidum esse, idque se hoc exinde scire dixerit, quod ad sensum calidum appareret.

Qui igitur sensus, tanquam fallaces, contemnit, & tamen ex τῷ φαινομένῳ, ipso scilicet sensu probat, piper calefacere, is sibi ipsi contradicit, nescitque quid dicat, ac ob id merito ridetur. Hoc fecit stupidus ille bardusque asinus. Ergo.

Sensus enim certissimus Iudex est qualitatum in simplicibus. Non enim alia ratione ignem calidum esse novimus, quam sensu: nec alio modo glaciem frigidam esse scimus, nisi sensu. L. 2. c. 26. 27. & 28.

Secundum modum, quo prisca quidam cum Aceti, cum aliorum simplicium facultates indagare studuerunt, Galenus hoc argumento evertit. Qui ex morbis sibi incognitis facultates medicamentorum venari satagunt, frustra laborant, omnibusque nugas atque ineptias suas palam faciunt. Hoc fecerunt Methodici, ut patet ex supra dictis. Ergo frustra laborarunt, & nugas ineptiasque suas palam fecerunt.

Majoris consequentia sic probatur, que tamen in contextu non habetur. Qui ignorant indicans, ignorant & indicatum, quoniam hoc ab illo indigitatur. At qui ex morbis incognitis venari student medicamentorum in curatione adhibendorum facultates, ignorant indicans, & quidem curatorium, quod est morbus. Ergo ignorant etiam indicatum, nempe facultates remedij usurpandi. Ideoque laborant in vanum, & stultitiam suam produunt.

Colli-

Colligunt enim, inquit Galenus, ἐκ ζήτων ζήσι-
μενα, καὶ ἐκ ἀδύλων ἀδύλα: cum tamen, si quis re-
ctè ratiocinari velit, τὰ ζήσιμενα concludere, non
locum novæ quæstioni relinquere, & τὰ ἀδύλα ἐκ
ἀδύλων colligere debeat. Omnis enim cognitio fit
per notiora.

Concludit ergo Galenus, facultates pharmaco-
rum neque ex compositis medicaminibus, neque ex
morbis cognoscendas, neque sola investigandas esse
ratione, sed sensu, usu atque experientia.

III.

An non etiam in explorandis facultatibus
aliquid rationi tribuendum? Respondet Gale-
nus, omnino, sed rationi παρακειμένη τοῖς διὰ τῶν
αἰσθησέων φαινομένοις, quæ sensibus est vicina, & in
propinquo posita; & adhibita distinctione inter id,
quod agit per se, & illud, quod per accidens aliquid
præstat. Sunt autem, ut hoc obiter addamus, sensibus
vicina illa, quæ licet sensibus per se non percipian-
tur, cognosci tamen possunt ratione ex sensu petita,
non per ambages. Hoc suum placitum Galenus
exemplo Oxycrati declarat, quod mistura est ex A-
qua multa, & paucò Aceto, quæ vulgò Posca dicitur.
Id potum æstivo tempore hominem refrigerat, sitim-
que extinguit. Verùm nondum constat, an hoc fa-
ciat propter Acetum, an propter Aquam? Posset
enim quis dicere, Acetum neque refrigerare, neque
sitim tollere, sed addi solùm Aquæ, instar alicujus
vehiculi, idque planum facere hoc argumento.

Quicquid est tardiusculum, & diu moratur in

G 5

hypo-

Hypochondrijs, nec deorsum ad aluum concedit, nec se in omne corpus diffundit, id opus habet aliquo vehiculo, quod tenuitate & subtilitate suarum partiū illud deducat in omne corpus. At Aqua talis est. Ergo opus illi vehiculo, quod sua tenuitate illam deducat in universum corpus. Tale autem est Acetum, tenue scil. & subtilium partium. Ergo ut vehiculum tantū admistum est Aqua in Oxycrati compositione.

Eadem enim Oxycrati ratio est, que Vini Aqua diluti. Vt enim istud sitim sedat efficacius, quam si sola bibatur Aqua: ita Oxycratum eandem tollit potentiū Aceti causa, quam si Aqua sola, mera & sincera assumatur.

Argumentum, quo hoc probatur, est tale. Quicquid Aquam ad distributionem promovet, id sitim aufert potentiū. At Vinum hoc facit, quia tenue & subtile. Ergo sitim aufert potentiū.

Quapropter concluditur, refrigerium & sitis restrictionem provenire ab Aqua: ad vehiculo autem illi esse, ac velut alas illi ad omnes corporis partes permeandas addere tū Vinum, tū Acetum. Confirmatur hæc conclusio tali syllogismo. Q. est frigidum & humidum, id sitim restinguit: quoniam hæc vel à caliditate, vel à siccitate, vel ab utraque simul proficiscitur: quicquid autem frigidum & humidum non est, attamen tenue & subtile, id quidem per se sitim minimè tollit, per accidens autem tollere dicitur, quoniam id, quod eam per se tollit, instar alicuius vehiculi in omne corpus distribuit.

buit. Atqui Aqua simplex est frigida & humida, Vinum & Acetum nequaquam: sed tenuium duntaxat subtiliumque sunt partium. Ergo Aqua sitim restinguit per se: Acetum & Vinum per accidens solum, quoniam illi, quod per se hoc facit, tantum vehiculi causa sunt adjuncta.

Quod si Vinum & Acetum per se sitim compescerent, prestaret illa exhiberi sola, quam Aqua permista: idque sequentibus de causis: tum quia facile ob tenuitatem suam in corpus digeruntur: tum quia promptè atque expedite ex hypochondrijs exeunt. L. I. c. 29.

IV.

Quoniam modo ac ratione sciscitari liceat, quid propriè Acetum Aquæ admistum prestare valeat, siti urgente? Respondet Galenus hoc sciri posse, si Acetum, quemadmodum & Vinum (nam & istius antea facta mentio est) seorsum ac per se sitienti offeras. Experieris enim, à Vino sitim semper augeri: ab Aceto verò aliquando augeri, nonnunquam verò sedari.

Prius probatur hac argumentatione. Q. calefacit & siccatur, id sitim, si præexistat, auget. Vinum, præsertim meracum, calefacit & siccatur. E. sitim auget.

Ad posterius opus est distinctione. Sitis enim à duplici causa proficiscitur: à caloris copia, & humoris inopia, h. e. à siccitate. Sitim à caloris copia prodeuntem Acetum tollere valet, quia Acetum ἄψυχον ἐν ἀερίῳ, haud debilitè refrigerat. Non potest

potest autem auferre sitim à siccitate causatam, quoniam minimè humectat. Non potest etiam compescere sitim ab utraq; causa, caliditate & siccitate, ortam: quia frigidum & siccum. Potest autem removere eam, quæ causam habet caliditatem cum humiditate conjunctam, quia refrigerat & siccatur. Est autem talis affectio rara: observatur tamen in aqua inter cutem $\tau\alpha\psi\chi\upsilon\sigma\epsilon\sigma\iota\upsilon$, affusionibus, congesta in ventre, h. e. in abdomine, asciticorum præcipuè, salsi humoris, qui serosus est, copia: item cum in ventriculo salsa pituita est coacervata. L. I. c. 30.

V.

Eandemne ob causam illi sitiant, qui febricitant, quique in æstate & gravi æstu idem accidens patiuntur? In febribus ardentibus, quæ $\kappa\alpha\upsilon\sigma\iota$ nuncupantur, itemq; in æstate, & æstu magno, v. g. in balneis siccis & humidis, naturalibus pariter & arte factis, homines sitiunt, non propter caliditatem cum humiditate sociatam, sed propter caliditatem copulatam cum siccitate. Ideoq; Oxycratum, quod ex Aceto & Aqua constat, optima illius est medela. Primum ratione Aceti, quod strenuè refrigerat, & ob partium tenuitatem facile permeat. Deinde ratione Aquæ, quæ refrigerandi, & humectandi virtute pollet. Hac enim nihil humidius. L. I. c. 30.

VI.

Quænam ratio explorandi vires medicamentorum sit tutior & certior, eane, quæ institui-

stituitur in simplicibus, an quæ fit in compositis? Quemadmodum haud tuta satis est ea explorandi ratio, quæ fit ratione procul à sensu petita: sic neque illa secura sat est, quæ exercetur in compositis medicamentis.

Tutissima autem certissimaque illa est, quæ fit in medicamentis simplicibus. Minus, quæ fit in compositis ex συμμέτροις factis. Fallax planè, quæ fit in compositis ex ἀμέτροις concinnatis.

Prima assertio probatur hunc in modum.

Qua δοκιμασία, sive proba, certius & qualitates, & gradus qualitatum cognosci possunt, ea omnium est tutissima. At si simplex medicamentum exploretur, certius & qualitates, & gradus qualitatum cognosci possunt. Ergo simplicis δοκιμασία & exploratio est omnium tutissima.

Secunda stabilitur hoc syllogismo.

Qua δοκιμασία ipse quidem qualitates indagantur, gradus autem illarum cognosci nequeunt, ea minus certa tutaque est illa, qua investigantur qualitates & vires simplicium. Atqui si composita, quæ tamen ex mediocribus conflata sunt simplicibus, probentur, qualitates quidem illorum cognosci queunt, gradus autem qualitatum nequaquam. Ergo hæc δοκιμασία minus certa tutaque est priori.

Minor probatur. Quæ simplicium qualitates obtundunt & habent, ea, quò minus gradus illorum cognosci possint, faciunt. At quæ admista sunt simplicibus, tametsi mediocria sint, qualitates simplicium habent atque obtundunt. Ergo faciunt, quò

quò minùs illorum gradus in qualitatibus cognosci queant. Nam si v. g. calida à minùs calidis, & frigida à minùs frigidis remissiora evadunt, sanè multò magis talia evadent à mediocribus.

Tertia confirmatur hac argumentatione.

Quæ qualitates & vires simplicium planè mutant, illa explorationem virium illorum prorsùs impediunt. Hoc faciunt à quælibet & immoderata, si simplicibus sint associata. Ergo. Quapropter consilium Galeni est, ut, si animus sit simplicium explorare qualitates & virtutes, ea sint impermissa. Deinde ut probentur in corporibus sanis, ùsque vel temperatis, vel intemperatis. Tertio in agris, & quidem simplici agritudine laborantibus.

Quod si mistum examinare volueris, tum id, quod admiscetur, μέσον τῆν κρᾶσιν esse debet, h. e. mediocris temperamenti. Ratio est: quia tale ita comparatum est, ut simplicis qualitatem non mutet. Ideòq; constat, ipsum eorum, quæ aguntur, causam existere. Etenim si Cerato simplici, quod neque calefaciebat, neque refrigerabat, aqua frigida admisceatur, aqua sanè refrigerat, quia ipsa frigida existit. Sin illi calefacientia addantur, v. g. Euphorbium, aut Castoreum, tantum abest, ut Ceratum refrigeret, ut maximè calefaciat: idq; propter admistionem ejusmodi simplicium, quæ excessivè calida sunt. Pari modo, si Acetum simplex Cerato admisceas, Cerato ipso longè frigidius efficies medicamentum: quoniam quod Cerato admiscetur, simplex, frigida qualitate pollet: eritque talis compositio

tio

rio optimum medicamen ad erysipelata, phlegmo-
nas, herpes & carbunculos. Sin autem quod mi-
stum est, tanquam simplex expendas, hallucinabe-
ris plurimum. Nam remedium ulcera & vulnera
glutinans non Acetum, sed Oxycratum dicendum
est: quod longè aliam naturam habet, quam Ace-
tum, eo quod Aceto vim erodendi adimat. Quem-
admodum enim erugo per se $\sigma\alpha\phi\kappa\omega\lambda\iota\kappa\delta\upsilon$ remedium
non est, quoniam acrimonia exedit: sed Oxycra-
tum parum eruginis habens: sic neq; Acetum glu-
tinat, sed Aqua paucillum Aceti accipiens: quia
Cera & Oleum acrimoniam eruginis contemperat.
Ipsum verò Acetum per se ac sincerum ulcera &
vulnera, quæ glutinationem requirunt, mirum in
modum exasperat.

Nam q. est $\delta\iota\alpha\beta\omega\lambda\iota\kappa\delta\upsilon$ καὶ ὀδύνηρον, erodens &
dolorificum, id glutinationem impedit. Tale est
acetum, præsertim quod forte. Ergo glutinatio-
nem impedit. L. I. c. 31.

VII.

An veteres rectè dixerint, Acetum glutina-
re, quoniam Oxycratum, cujus pars est, vim
glutinandi obtineat? Acetum glutinationem
impedire jam probatum est. Male autem argumen-
tatio sit à composito ad simplex. Alia enim ratio est
Oxycrati, alia Aceti. Illud paucum acetum conti-
net, & propterea glutinare potest. Aqua enim,
quam habet, aceti acrimoniam obtundit. Hoc,
quia acre & erodens, glutinare nequit.

VIII. U.

VIII.

Utrum omnia adstringentia vulnera glutinant: & an vicissim omnia quæ glutinant etiam adstringant? Respondet Galenus, ajen-tem quidem defendisse veteres: sed falsam utramque esse assertionem. Sunt namque multa adstringentia, ut Chalcitis, Galla, Malicorium, Omphacium, Alumen, Æs ustum, Æris squama, Misy, aliaque plurima, quæ tamen vulnera minimè glutinant. Sunt quoque multa glutinantia, quæ tamen non adstringunt. Cujus sententiæ Galenus quidem nullum tradit exemplum, adferri tamen potest albumen ovi, amyllum, farinarum & gummi genera, ea denique, quæ emplastica dicuntur, & lentam, viscosam glutinosamque substantiam habent. Priora namque adstringentia minimè glutinant, quia erodunt. Posteriora glutinant, non facultate adstrictoria, sed substantia crassa, lenta, & viscosa, quemadmodum Gluten fabrorum lignariorum adstringere solet. L. 1. c. 32.

IX.

Quid de veterum, & maximè de Herodoti judicandum sententia, qui mordacia, acris, amara, salsa, & quæ mollissimas mitissimasque nacta sunt qualitates, adstringere dicebantur? Respondet Galenus, falsitatis hæc esse plenissima, & sensui repugnare. Nam quicquid adstringit, id adstringere sensus Gustus percipit. Est enim τὸ συνίξον saporis species, qui Gustu sentitur: quemadmodum Malum granatum, Mespilum, quadam Pyra-

Pyrorum genera, Myrthi bacca, Sorba, & multa vi-
na docent. Hac enim adstringere, Gustus ostendit.
At Gustus non docet, recensita simplicia acria, ama-
ra, mordacia &c. adstringere: non etiam common-
strat, Zeam, Triticum, Miliun, Amylum &c. quæ
mites & jucundas habet qualitates, vi adstringen-
di prædita esse. Ergo minimè adstringunt. L. I. c. 32.

X.

Utrum omnia adstringentia refrigerent?
Ita quidem volebat Asclepiadeus ille Metrodo-
rus, qui Herodotum erroribus & mendacijs quasi
superare voluisse videtur: & propterea etiam tum
Resinam, tum Bitumen calefacere nos negavit, hoc
argumento. Quod adstringit, refrigerat. Hac duo
simplicia adstringunt. Ergo refrigerant. Verum
Galenus respondet per ἰσχυρῶς, opponitque Me-
troodoro exempla Chalciteos, Chalcanthi & My-
sios, quæ valenter adstringunt, & tamen tantam
nacta sunt caliditatem, ut etiam exurant.

Si ergo quedam summè calida & καυσικὰ ad-
stringunt, sequitur, non omnia adstringentia frigi-
da esse. Prius est verum, uti modò exemplis quibus-
dam planum factum. Ergo falsum, omnia συπλινὰ
esse refrigerantis nature.

Sed queri hinc posset, quæ in causa sit, quòd ve-
teres quidam adeò fuerint nugati, seque & alios
deceperint in qualitatibus simplicium? Respondet
Galenus, causam aliam non esse, quàm quòd sensus
iudicium fuerint aspernati, & non attenderint ad
ea, quæ ἐναργῶς φανόμενα nos docent. L. I. c. 33.

H

XI. Nun-

Nunquid omnia, quæ diarrhœis & dysenterijs medentur, in adstringentium albo sine habenda? Galenus scribit, Herodotum & Dioscoridem medicamenta quaedam adstringere ex eo collegisse, quod diarrhœis & dysenterijs mederentur. Ipse verò hoc negat, & contra illos sic argumentatur.

Si in diarrhœis & dysenterijs ea tùm foris, tùm intus usurpantur, quæ ne minimum quidem adstrictionis habent, imò potiùs rarefaciunt & laxant: adhuc emplasticam obtinent facultatem, anodynam item, mitigatoriam, & talem, quæ acrimoniam humorum obtundat, interioremq; intestinorum superficiem oblinat, & veluti incrustet, quò minùs ab affluentibus humoribus acris exulcerentur, sequitur, falsum esse, omnia adstringere, quæ dictis in affectibus adhibentur. Prius est verum. Ergo falsum posterius, quod omnia *δυσεντερικὰ* sint *στυλικά*.

Minorem Galenus probat. Vbi plura sunt indicantia, ibi plura quoque sunt indicata, quæ non iisdem viribus sunt prædita, & per consequens neq; omnia adstrictoria donata facultate. At in dysenteria, v. g. plura sunt indicantia: 1. ulcus intestinorum: 2. immodica excretio: 3. acrimonia humorum affluentium: 4. dolor ingens. Ergo etiam plura indicata, quæ indicantibus satisfaciant.

Nam præter adstringentia, quæ excretionem immodicam cohibent, usurpantur quoque Oleum,
Amy-

Amylum, farina triticea, succus Chondri, sive Alice,
qua tritici, aut Zea, sive Speltae genus est, & Tragi,
qui Alice similis, multum autem aceris habet, Cera,
adeps suillus, gallinaceus, anserinus, & caprinus,
partim ut ulcus intestinorum consolidetur, partim
ut acrimonia & mordacitas humorum mitigetur
& obtundatur, partim ut dolor sedetur, partim ut
intestina intus quasi crusta quadam obducantur,
quod eò minus illis acres & erodentes humores nocere
queant. Quem in finem adeps caprinus ceteris
omnibus praestat. Citiùs quippe ob partium crassitiem
concrefcit, diutiusq; intestinis adhæret, hacq;
de causa morsum intestinorum obtundit.

Cæterùm, quæri hîc posset, cur veteres adeo
turpiter sese dederint, tamque graviter fuerint
hallucinati? Respondet iterùm Galenus, ut ante,
causam fuisse, quod sensus in dijudicandis simplicibus
viribus pro nihilo habuerint, planèque contemserint,
& quæ sensu poterant dignosci, pravis rationibus
adstruere conati sint. Ideoq; cum ex notis debuissent
concludere ignota, illi contrario planè modo ex obscuris
& ignotis τὰ φαινόμενα, quæ sensui nota sunt,
probare studuerunt. Monet autem nos Galenus, quod
tanto magis debeamus ad sensum accedere, tantoq;
diligentiùs illi semper attendere, quanto graviùs &
sepiùs Sophistæ omnes circa illud peccârunt,
statuentes, sensibus spretis de facultatibus
medicamentorum ex ratione judicandum esse. L. I. c. 34.

XII.

Quænam sint singulorum sensuum objecta, sive sensibilia? & quæ sint saporum, qui Gustus sunt objecta, differentiæ, sive species? Cùm sensus tanti ponderis sint atque momenti, ut vel ex ijs solis, vel ex illis rationibus, quæ à sensibus petita sunt, quæque sensibus sunt vicina, omnium tutissimè & optimè de simplicium facultatibus judicare liceat: cùmque etiam veteres, priusquam præ contendendi libidine in sensus contemptum pervenissent, postea verò δὴ ἀπεπίλην σοφίαν, per supervacaneam Sapienciam, eam amisissent, multa de cognoscendis facultatibus medicamentorum ex sensibilibus eorum qualitatibus protulerint in medium, & hoc quoque in opere de illis deinceps dicendum sit, ideo Author noster de singulorum sensuum sensibilibus, & sensibilium differentijs in fine hujus libri primi agit. Quamvis autem sensibilia omnia attingat, tamen gustabilia persequitur diligentius & prolixius: quoniam saporibus ad cognoscenda simplicium temperamenta plurimùm conducunt.

Sunt verò TACTVS sensibilia, sive objecta, qualitates tactiles, tum primæ, tum secundæ. Illarum exempla sunt Caliditas & Frigiditas. Harum Durities ac Mollities. VISVS objecta sunt Colores: v. g. Albedo, Nigredo, Rubor &c. GUSTVS objecta, sive sensibilia sunt, Amaritudo, Dulcedo, Austeritas, Acerbitas, Aciditas, Salsedo, Acrimonia.

AVDITVS soni: OLFACTVS odores. Ideoq; demens planè videatur, si quis gustu velit judicare
color.

colores, saporibus visu. Sensibilia enim propria suo sensu dijudicanda sunt: v. g. tactiles qualitates tactu: audibiles auditu: odorabiles olfactu.

Saporum differentias quod attinet, eas Galenus tum ex Platonis, tum sua sententia profert: ut ostendat, quibus nominibus Graeci saporibus expresserint, quasque causas illis assignarint. Videtur autem Plato in Timeo octo posuisse saporum species: austerum, acerbum, salsum, nitrosum, amarum, acrem, acidum atque dulcem. Sapor αυστηρός, austerus, & στυφνός, acerbus, secundum Platonem sunt ejusdem speciei: differunt tantum καθ' ἡτλον καὶ μᾶλλον, majoris minorisque ratione. Intensior enim est acerbus: remissior austerus. Ideoque ambo a Galeno habentur pro una saporis specie.

Sapores nitrosi, salsi, & amari austero & acerbis sunt oppositi. Amarus autem intensior est nitroso. Salsus aut nitroso est remissior: aut aliquid etiam adstringens in se habet. Praeter hos Plato proposuit, acrem, mox acidum, ultimo dulcem.

A Theophrasto additus est λιπαρός, unctuosus, sive pinguis. A Platone autem in serm. de propr. linguae sensibilibus praeteritus: sed paulo ante plantarum adscriptus succis, ubi saporem οἰνώδην, vinosum, ἀλειώδην, oleosum, καὶ μελιώδην, melleum, describit. In illo vero sermone unum adjecit genus χυμῶν, succi, quod ὀπωδὸν vocavit. Vbi autem ad Gustus sensibilia accessit, saporem istum protinus dulcem memoravit. Nihil enim refert, dulce an melleum dicas: quemadmodum nihili quoque interest, pingue

an oleosum proferas. Pinguem autem, qui λιπαρός
nominatur, omisit, ut qui nihil ad Gustum attine-
ret.

Magna enim varietas est apud Authores, quan-
tum ad saporum numerum, quos Galenus χυμὸς
appellat: χυλὸς autem succos incrassatos tum in a-
nimalibus, tum in plantis. Sapores, qui plantis,
animalibus & terræ insunt, plurimi sunt, nec faci-
le specierum numero comprehensibiles: ab alijs ta-
men octo, ab alijs septem, ab alijs pauciores recen-
sentur. Galenus sex sapores enumerat: primus
est ἀσνρός, austerus: secundus σπουρός, acerbus: cuius
utriusque genus est σύφον, adstringens: tertius
ἄλικός, salus: quartus πικρός, amarus: quintus ἰπι-
μύς, acer: sextus γλυκός, dulcis. L. I. c. 35. 36. & 37.

XIII.

Quo pacto singuli sapores sensorium suum,
ipsam videlicet linguam, afficiant? Galenus
ait rem hanc explicatu esse difficilissimam. Expli-
cat tamen eam sequentem in modum.

Quæ adstringunt, videntur ἐσω. συνωθεῖν, in-
trorsum pellere, non secus ac quæ refrigerant, con-
tactam nostræ partem omni ex parte, idque ὀμαλῶς
equabiliter, veluti pellentia, stipantia & contra-
hentia.

Austera, ἀσνρὰ, videntur subire in profundum,
& asperum quendam inequabilemque sensum move-
re, tanquam resiccantia, & humorem corporum sen-
sibilium depascentia.

Amara, πικρὰ, validè linguam desiccant, con-
trahunt.

trahunt, & in multam usque profunditatem exasperant, sicuti Pyra sylvestria & Corna immatura. Specie enim ijdem saporibus sunt austerus & acerbus: differunt tantum majoris minorisque ratione: estque adstringens sapor utriusque genus, quemadmodum antea dictum.

Salsa, ἀλυκῆ, linguam contrahunt, non constipant, velut adstringentia, imò planè contrà agere apparent. Detergunt enim & abluunt, etiamsi quid adstrictorium in se habeant.

Amara, πικρὰ, salsis magis abstergunt, adeò ut etiam exasperent.

Acrida, δριμύα, mordicant & rodunt, idque cum vehementi calore.

Acida, ὀξεία, idem faciunt, sed absque calore. Habent verò & vim quandam fermentandi.

Dulcia, γλυκῆα, quasi inungunt, atque implent, ac in statum suum restituunt exasperatas, ac velut erosas lingue particulas, sed cum manifesta & evidenti voluptate.

Pinguia, λιπαρὰ, eadem præstant, sed sine ejusmodi voluptate.

His hunc in modum explicatis, scribit Galenus, mirari se veteres quosdam, quòd cum saporibus istis plurimum inter se differant, & alij aliter linguam afficiant, singulis insuper saporibus sua sint imposita nomina, & acrida, & amara, & dulcia, & pingua, & acida ausi fuerint adstringentia appellare. Præstitisset enim, siquidem voluissent φυσιολογεῖν, τὰ φαινόμενα, h. e. effectus, quos singuli

Sapores in lingua producant, minimè evertere, neq[ue]
nomina confundere, sed inquirere, cuius tempera-
menti soboles sit adstrictio, cuius salsedo, cuius ama-
ritudo, aciditas, acrimonia, dulcedo, pinguitudo?
Horum enim saporum causas Plato, Aristoteles,
& Theophrastus tradere sunt conati. Nam si
certum est, omnia mista ex 4. elementis constare,
necesse est, etiam hosce sapores ab eorum qualita-
tibus provenire. L. I. c. 37.

XIV.

Num quæ simplicia Medici dicunt esse cali-
da, frigida, humida & sicca, talia dicant esse ad
totam Naturam, per se & absolutè, sicut ea
Philosophi naturales considerant, an talia so-
lùm ratione corporis humani? Hanc quæstio-
nem Galenus non solùm capite ultimo libri primi
hujus operis, verùm etiam cap. 5. libri tertij movet.
Respondet autem hoc capite ultimo brevissimè, quòd
non dicantur talia, qualia ex se sunt & ad totam
naturam, sed πρὸς τὴν, habito respectu ad corpus hu-
manum, quod Medicinæ subjectum est, & vel con-
servandum, vel præservandum, vel curandum, vel
reficiendum, cùm è morbo aliquo emerfit. Etenim,
si simplicia à Medicis dicerentur talia esse, qualia
ex se sunt, sequeretur, v. g. neque Acetum, neque
Aquam marinam, &c. nos exiccare posse, aut facul-
tate esse sicca. Quod enim actu est humidum, id sic-
cum dici nequit. Ista actu sunt humida. Ergo non
possent dici sicca. At sicca rectè dicuntur, ad nos
videlicet, nostramque naturam relata, quoniam
nos

nos siccant. Eademq; ratio est aliorum simplicium,
 quæ calida, frigida, aut humida statuuntur. Talia
 namque vocantur, & πρὸς τὴν ὅλην ἐσίαν, ἐδὲ καθ'
 ἐαυτὰ, ἀλλὰ πρὸς ἡμᾶς, καὶ τὴν ἰμελέραν φύσιν, qua-
 tenus nos vel calefaciunt, vel refrigerant, vel hu-
 medant. Virum verò hæc in nobis præsent, omnium
 optimè sensu atque experientia cognoscitur: quæ
 κριτικὸν ἀπάντων ἐστὶ βεβαιότατον, certissima omnium
 est iudicatrix: quam qui negligunt, aut despiciunt
 habent, non solum pro veris proferunt falsa, sed
 etiam totius istius tractationis de simplicium facul-
 tatibus utilitatem destruunt atque evertunt. Pro-
 positum siquidem in illa est, non quid quodlibet eo-
 rum κατὰ τὴν ἐαυτῆ φύσιν præstare valeat, sed οἷον
 τί δὲ πρὸς ἡμᾶς, quid in nobis efficere pos-
 sit, exquirere. L. I. C. 38.



COROLLARIA.

I.

Cur dixerit Galenus cap. 25. hujus libri
 primi, cognitionem facultatum remedio-
 rum simplicium utilem esse, ut ἰς τεχνικῶς uti
 queamus? Τεχνικῶς uti simplicibus, est, ea ad usum
 transferre secundum Artis præscriptum. Sic autem
 transferuntur, cum indicantibus satisfaciunt. Sa-
 tis faciunt autem, quando morbos eorumq; causas,
 & urgentiora symptomata profligant. Profligant
 verò, cum affectibus istis sunt contraria, & iusta in

H 5

quan-

quantitate, decenti modo, *h. e. debita forma*
& qualitatibus, opportuno tempore, & loco
convenienti adhibentur. In hisce enim qua-
tuor circumstantijs legitimus remediorum usus
consistit. At quis novit, contraria illa esse affectibus
indicantibus, nisi qualitates & vires eorum sint
perspectæ, & nisi cognitum sit, utrum alterent, an
vacuent? Et si alterant, quibus qualitatibus alte-
rent? Sique vacuant, an ἀνω, an κάτω vacuationem
moliantur? *h. e. num ἐμελίξά, vomitoria, an δια-
χρηλίξά, dejectoria sint, causasque morbificas per
es, aut aluum educant?*

II.

Quam ob causam idem Galenus ibidem sta-
tuerit, eandem cognitionem plurimum ad
methodicam & rationalem medicamentorum
compositionem conducere? Causa erit in prom-
ptu, si in memoriam nobis revocaverimus, quæ ad ar-
tificiosam medicamentorum compositionem sint ne-
cessaria, quæque rationes Medicos commoverint, ut
composita consicerent pharmaca.

Sunt autem ad artificiosam medicamento-
rum compositionem necessaria potissimum Ba-
sis, & alia, quæ vel Basin, vel partem affectam,
vel compositionis conservationem, formam & consi-
stentiam respiciunt.

Basis est medicamen in cōpositione precipuum,
& veluti columen, cui cætera innituntur, sicut æ-
dificium suo fundamento, cui superstruitur.

Ea in profligatione affectuum præter naturam
in-

indicationi, quam vel morbus, vel causa morbifica, vel urgens symptoma prabet, quod causa alicujus, v. g. morbum foventis, novum morbum generantis, aut vires nimio opere prosternentis naturam induit, opponitur. Est autem vel simplex, vel composita.

Simplex vel re verboque, nimirum & materie, & effectus ratione, quia unum simplexque est ingrediens, & uni indicationi satisfacit, unumque edit effectum: vel re quidem simplex, verbo autem composita: quod fit, quando plura ingredientia, unius tamen ejusdemque virtutis, conjunguntur: quemadmodum in multis tum alterantibus, tum vacuantibus compositionibus videre licet, quarum bases in unius alicujus partis alterationem & corroborationem, vel in unius alicujus humoris expurgationem conspirant. Locum habet Basis ista, tum primo, tum secundo modo accepta, cum affectus est simplex & solitarius, & neque cum morbo alio, neque cum causa fovente, neque cum graviore urgentioreque aliquo symptomate copulatus.

Composita, quæ plures præstat usus, & propterea ex pluribus constat ingredientibus, accipitque nomen suum non semper a primarijs ingredientibus, sed etiam ab effectu, parte affecta, cui præcipue inservit, aethere, colore, odore, sapore, numero ingredientium, eo medicamine, quod primo loco in descriptione collocatur, rebus alijs, quemadmodum videre licet in illis compositionibus, quæ iam in Officinis extant paratæ. Talis Basis requiritur in casu duplici. 1. in simplici quidem morbo, sed ad-
huc

huc cum sua causa, aut vehementi aliquo periculo-
losoque symptomate conjuncto. Nam unicuique
abigendo sua est Basis constituenda. Vbi tamen
ad id, quod urgentius est, magis semper respicien-
dum, ejusque Basis prevalere debet.

Deinde in morbis complicatis, in una tamen ea-
demque parte concurrentibus. Nam si in varijs par-
tib. ijsque longè à se invicem distantibus, varij con-
sistant morbi, tum ejusmodi compositione opus non
est, quoniam sua cuique remedia aptari queunt.

Indicatur verò Basis ab indicante curatorio,
quod est morbus, & preservatorio, quod est causa
morbi. Quantitas illius determinatur à magnitu-
dine eorundem indicantium.

Basi adjunguntur interdum multa alia, v. g.
corrigentia, juvantia, dirigentia, partibus appro-
priata & familiaria, compositionem à corruptione
& putredine preservantia, ut diutiùs duret, for-
mam & consistentiam tribuentia, denique jucun-
dum pulchrumque colorem præbentia: ea tamen
proportione, ut Basis si non quantitas, vis saltem
summa atque præcipua sit in compositione. Viribus
enim semper, si non quantitate, cæteris ingredien-
tibus antecellere debet. Aliàs enim, si Basis vir-
tute sit inferior, felix sperari evētus minimè potest.

Corrigentibus autem opus est, si Basis vel sit
ignava: vel vehemens & ferox: vel maligna &
noxia: vel odoratui tetro fætidoque odore molesta:
vel gustui ingrata. Tunc enim tarda, & ignava sti-
mulanda atq; acuenda, Ferox & vehemens frenāda.

Mali-

Maligna castiganda. Tetrum spiranti odorem fragrantium additione bonus odor conciliandus. Amaris, falsis, acribus, insipidis, acidis &c. suavis gustuique gratus atque acceptus sapor procurandus, ne ventriculus subvertatur, assumptumq; pharmacum vomitione reijciatur.

Juvantia necessaria sunt, si Basis sit debilis & infirma. Nam vis illius admistione aliorum augenda.

Dirigentia requiruntur propterea, quoniam pars affecta quandoque aut in profundo latet, aut in loco distantiori sita est: aut densa compactaque est substantia. Opus ergo vehiculis, quae attenuent, incidant, aperiant, penetrent, & viam quasi atq; transitum Basi patefaciant.

Partibus appropriata & familiaria adhibenda sunt, maxime si sint nobiles, aut tales, quarum usu vita carere nequit, cujusmodi est Ventriculus, cujus vel inprimis in purgantibus compositionibus habenda ratio est, tum quia primus vim illarum atque impetum sustinere cogitur, tum quia is omnium maxime a cathartici abhorere solet. Ad denda etiam in ejusmodi compositionibus talia simplicia, quae tonum, sive robur harum partium conservare valent.

Perennatio & durabilitas in medicamentis procuratur, ne ocyus corrumpantur, aut putredine inficiantur, admistione Sacchari, Mellis, Olei &c.

Flagitatur & admistio aliorum ingredientium, ut forma & consistencia debita comparetur:

v. g.

v. g. Cera & Olei ad conficienda unguenta, cerata
& emplastra: Mellis, aut Sacchari ad parandos sy-
rupos: liquoris alicujus & Sacchari ad concinnan-
da tabulata: syrupi liquorisve alterius ad tro-
chiscos & pilulas componendas: syrupi, mel-
lis, &c. ad electuaria construenda, & sic dein-
ceps.

Deniq; jucundus & amœnus color auro, ar-
gento, santalo rubro, rebus coloratis alijs affingitur,
quia pueri maximè, hominesque molles & delica-
tuli eo delectantur. Est enim regula Hippocratis
l. 6. epidem. sect. 4. non tantùm cibum & potum
purè conficiendum esse agrotantibus, verùm etiam
pura debere esse omnia, quacunq; vident, & mol-
lia, que tangunt: reliqua verò non valdè ledant,
& facilè sint reparabilia.

Hæ ab artis nostræ proceribus componen-
dorum medicamentorum leges feruntur. Ex qui-
bus Sole elucet clariùs, non posse medicamenta modo
δικῶς καὶ λογικῶς componi, nisi simplicium ingre-
dientium qualitates & facultates cognite sint atq;
explorate. Quis enim Basin constituet, si illa la-
teat, sive alterandum, sive vacuandum sit? Quis
Basin alijs simplicibus aut corriget, aut juvabit, aut
augebit, aut ad locum destinatum diriget, aut par-
tibus accommodabit, aut compositionem totam à
corruptione præservabit, aut illi odorem suavem,
gratumve saporem conciliabit, si eorum vis atq; po-
testas sit incognita?

Hanc cognitionis facultatum in simplici-
bus

bus necessitatem palàm quoque faciunt cause,
quæ Medicos cõegerunt, ut medicamenta compone-
rent. Eas Galenus l. 1. de compos. med. κατὰ γένει
c. 2. & 3. recenset. Possunt autem memoriae causa
in duas classes digeri: nempe in primarias, sive ne-
cessarias, & secundarias, quæ vel utiles, vel solum
iucunda sunt.

Primariæ sunt quinque.

I. Est simplicium defectus, qui compensandus
permistione plurium.

II. Simplicium ignavia, quæ stimulanda: debi-
litas, quæ iuvanda: vehementia, quæ coercenda
& cohibenda: malitia, quæ benignorum admistione
castiganda & frenanda.

III. Affectuum pluralitas, quib. omnibus occur-
rendum, quod tamen simplicibus præstari nequit,
presertim si affectus sint contrarij.

IV. Partium affectarum varietas. Nobiles enim
roboranda: quæ exquisiti sunt sensus, acris & mor-
dacia minimè ferunt. Ideoque hæc obtundenda.
Situs earum profundus, aut valde dissitus, vehicula
postulat, & viam steruentia, ut dictum antea.

V. Ut sint in promptu πολύχρηστα, talia nimi-
rùm medicamina, quæ variam & multiplicem uti-
litatem habent: cujus generis dicit esse Galenus
Theriacam Andromachi, Mithridatium Damocra-
tis, compositiones alias, quæ aëri ambienti, ætati,
anni tempori, regioni, vitæ instituto, consuetudi-
ni &c. sunt accommodata.

Secun-

Secundariæ sunt vel utiles, vel jucundæ.
Utiles sunt, I. quæ efficiunt, ut compositio sit
durabilis, & à corruptione perstet immunis.
II. Ut eam habeat formam & consistentiam,
quæ agro sit accepta, & usui conveniens.
Jucundæ, quæ colore, odore & sapore placent.
Addenda ergò colorata: admiscenda fragrantia:
adijcienda sapida.

III.

Quamobrem Galenus cap. 25. l. 1. de simpl.
asseverârit, scientiam facultatum remedium
simplicium facere, ut composita de his ad usum
accommodare queamus? Quoniam is composita
de his ad usum accommodat, qui facultates eor-
um novit, iisque postea indicantibus satisfacere
studet. Non potest autem aliquis facultates com-
positorum novisse, nisi cognitas habeat vires simpli-
cium. Illorum namque cognitio ab horum notitia
dependet. Ratio est: quoniam simplicia sunt causa
& principia compositorum. At omnis cognitio à
causis proficiscitur. Nam tum demum rem scire
dicimur, inquit Aristoteles I. phys. cap. 1.
cum causas illius exploratas ha-
bemus.

F I N I S.

21a 2663

ULB Halle 3
006 549 195



1009

MA

6



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

M
M
31. 32.
um,
i-
argen-
ta
CIO,
SORE
efa-
SCH.
E R I.

